21

DE

IVRE EPISCOPORVM INNOVANDI FVNDATIONES ECCLESIASTICAS

COMMENTATIO

QVA

ORATIONI SOLENNI

PROPTER IVRIS PROFESSIONEM ORDINARIAM

REGIS AVGVSTISSIMI

INDVLGENTIA SIBI DECRETAM

D. XXVII DEC. HORA XI

IN AVDITORIO PVBLICO

HABENDAE

PROLVDIT

FRIDERICVS BOEHMER.

GOTTINGAE,

LITTERIS IOAN. CHRIST. DIETERICH.

cIↃIↃccLXXXIV.

I.

INNOVATIONIS FVNDATIONVM ECCLESIASTICARVM DEFINITIO ET DISTRIBVTIO.

F*undationes ecclesiasticas*, hoc est, instituta, vel cultus diuini, vel pietatis exsequendae gratia, ex rerum, piorum hominum liberalitate et munificentia collatarum subsidiis, auctoritate *ecclesiastica erecta* seu condita, quo pertinent *ecclesiae*, *Religiosorum sodalitia beneficia orphanotrophia* rel. fundationes igitur ecclesiasticas dicimus *innouari*, quum, quod iis legibus ac conditionibus, quibus illae sunt institutae, repugnat, auctoritate *publica*, siue ecclesiastica illa sit, siue ciuilis, suscipitur. Atque illud variis quidem modis contingere potest, vel ita, vt *salua* et *integra* relinquatur fundatio, vel vt *aboleatur*, quod extremum *innouandi* genus *suppressionis* seu *exstinctionis* nomine distingui solet. Ad illud superius autem quod attinet, in eo sunt tum *imminutio*, quae efficitur eo, si de iuribus, quae qualitercunque ad fundationem pertineant, aliquid detrahitur aut diminuitur: tum *retentio*, quae versatur in reditu et prouentu, quo ipso continentur ea, quae in fundatione dicuntur *temporalia*, per aliquod tempus aliis vsibus ecclesiasticis impendendo:

tum *reformatio*, quae *ſpiritualia*, v. c. officium eccleſiaſticum, propter beneficium, quod quis habet, obeundum, afficit, in eoque cernitur, ſi illa ipſa vel ad cultum dei aliquem ſinceriorem atque caſtiorem, vel ad conſilia eccleſiae ſalubriora accommodantur: tum *ſectio*, qua ex vna fundatione fiunt plures: tum denique *vnio*, cuius vis haec eſt, vt altera alteri fundatio eo conſilio iungatur, vtriusque procuratio vt penes rectorem ſit eundem.

Eſt autem vnionis deſcriptio duplex: fieri enim poteſt vel *ſalua* vel *exſtincta* fundatione. Atque *integrae* quidem fundationis cum altera coniunctio *ſtrictiori* vocis acceptione *vnio* dicitur. Cuius generis, propter diuerſam qua inter ſe copulantur fundationes rationem, duae iterum ſecernendae ſunt formae: vna earum vnionum quibus altera alteri fundatio *pari* prorſus *iure* iungitur: altera earum, quibus in iis, quae pertinent ad fundationem adminiſtrandam, alteri altera quodam modo fit *obnoxia*. Quarum quidem illae *aequales*, hae *inaequales* ſeu *ſubiectiuae* dicuntur. Quodſi vero ita fit vnio, alterutra vt aboleatur fundatio, locus eſſe dicitur *vnioni ſuppreſſiuae*.

Sed innouandarum fundationum iſtud genus, cui nomen *ſuppreſſioni* eſſe diximus, duplici ratione perfici et abſolui poteſt: vel ita, vt exſtinctae fundationis res atque bona *eccleſiaſtica* permaneant, vel vt fiant *profana*. Atque hoc *ſecularisſatio*, ſeu *profanatio* dicitur *propria* vocabuli acceptione *a*), illud

a) Nam ſignificatione aliqua *impropria* ſecularisſationis et profanationis vocabulo tum etiam vtimur nos quidem Euangelici, quum imperii *ciuilis* auctoritate extinctae

illud haud incommode *translationem* dixeris. Cuius quidem non vna eademque eſt ratio, quandoquidem de fundationis exſtinctae bonis vel ita ſtatui poſſit, vt ad fundationem aliquam *iam conſtitutam* transferantur *b*), vel vt ipſorum praeſidiis *noua* inſtituatur fundatio, vel denique, vt non *peculiariter* illa *ſingulari* alicui inſtituto aſſignentur, ſed ex eorum prouentu *vniverſae* rei eccleſiaſticae conſulatur. Haec ſunt innouandarum fundationum quae maxime celebrentur genera atque formae *c*).

II.

INSTITVTI RATIO.

Sed quum de fundationibus innouandis varia poſſit inſtitui diſputatio: quaeri enim poteſt, vt potiora rerum capita afferam, vel *vtrum omnino*, quibusque de *cauſis* et *rationibus* fundationes eccleſiaſticas innouare liceat, vel de innouandi

illas

extinctae alicuius fundationis bona aliis publicis vſibus ita accommodantur, vt iuris maneant *eccleſiaſtici*. Vid. CLAPROTH. *Diſſ. de natura bonor. ſeculariſator.* §. 2. PARENS *Ven.* in *princip. iur. can.* §. 586. Nos autem per huius libelli decurſum propriam iſtorum vocabulorum acceptionem ſequutos eſſe, admonendi ſunt lectores.

b) Quod translationis genus ad vnionem ſuppreſſiuam, latius quidem vnionis vocabulo accepto, iuris canonici ſcriptores referre ſolent. V. AVVI *Ven. ius Prot. eccl.* Tom. II. l. 3. t. 5. §. 192.

c) Eorum quidem omnium, vti in aliis iuris Canonici ſyſtematibus, ita potiſſimum in PARENTIS *Ven. huius diſciplinae principiis tit. de iure circa innovationem beneficiorum*, habetur recenſus, ſed ita, vt quae innouationum formae omnibus omnino fundationum generibus pro conſilio noſtro accomodanda nobis eſſe videbantur, illa de vno tantum alteroue genere, beneficiorum maxime, prout vniuscunque ſcriptoris ferret conſilium, propoſita reperiantur.

illas *iure* et *poteſtate*, penes quem ſit, vel denique de *modo* atque *effectu:* quum igitur varie de fundationum immutatione diſputari poſſit, mihi quidem, cui propter iuris profeſſionem in hac Academia ordinariam, REGIS AVGVSTISSIMI ATQVE INDVLGENTISSIMI decreto ac iuſſu delatam, publicae huius beneficii commemorationi et ſolenni orationi ex maiorum inſtituto ſuſcipiendae, pro conſuetudinis noſtrae aequitate, commentatiuncula aliqua proludendum ſit, vt iuſtae huic conſuetudini obtemperem, non omnes quidem huius loci partes, ne terminos huic diſſerendi generi praeſcriptos euagari videatur oratio, ſed illud tantummodo diſputandi genus, quod in fundationum innouandarum *iure* verſatur et *poteſtate*, hac ſcriptiuncula qualitercunque perſequi propoſitum eſt. Etenim, quum noſtra memoria nonnulli eccleſiae Catholicae per Germaniam Praeſules, IOSEPHI, Imperatoris Summi Potentiſſimique exemplo et auctoritate maxime moti Religioſorum celebritates, hoc eſt, inſtituta, quae non tam deprauata et a primaeua ſua formula ac ratione deflexa, quam ſuo genere et natura humanitati atque pietati aduerſa eſſe vero harum rerum aeſtimatori videri debent, non pro ſuis quidem commodis, ſed rei eccleſiaſticae et ſcholaſticae meliori conſilio conſulendae gratia, per ſuas cuiusque terras ſi non abolere, at circumſcribere tamen vel iam inſtituerint, vel certe apud animum induxerint: non tam de primo ac tertio genere, quae quidem non adeo impedita eſſe viderentur, quam de *innouationem* maxime *ſuppreſſionem* ſuſcipiendi iure, quod quidem in altero genere poſitum a nobis erat, vtrum *ſolius Epiſcopi* illud ſit, an is in eo vſurpando *Pontificem Romanum, Imperatorem, Principem* in cuius ditione ſit Monaſterium, *Capitulum* denique ex

iuris

iuris tam Canonici quam publici decretis confulere obftringatur, inter ipfos quidem *Catholicos a)* potiffimum dubitari animaduertimus *b)*. Ne tamen huius fcriptionis anguftiae confilium noftrum nos non accommodaffe videamur, rerum tantum fummas, illius quidem generis, quod innouandarum fundationum habetur grauiffimum, *fuppreffionis* igitur, ratione maxime habita, ipfa tamen *profanatione* a noftro inftituto feiuncta et remota, pro virium noftrarum tenuitate exfequi in animo nobis eft.

a) Enimuero inter *noftrates* SCHLETTWEINIVS, Vir humaniffimus, celebratiffimam iftam Monafteriorum Moguntinorum abolitionem aegerrime ferens, in libello, hoc ipfo anno vulgato, qui infcribitur *die Gerechtigkeit in Abficht auf die Klöfter* Monafteriorum caufam (maxime aduerfus ROTHIVM, fcriptorem Moguntinum, cuius quidem nomen fatis illuftrauit nobilis illa de bonis Monafteriorum iftorum per exteras terras fitis, fufcitata controuerfia) ita tuendam fufcepit, vt emendanda, haud abolenda effe ius fasque exiftimaret. In quo quidem, quae fumma eft in eo Viro, humanitatem probo, at illud tamen arguendum effe videtur, quod a confiliis, quae Catholicorum Principes nonnullos de re monaftica delenda cepiffe merito laetamur, eos quafi reuocare apud animum induxerit — quae profecto improbare non poffumus, quin maiores noftros, qui facrorum inftauratorum tempeftate eadem fequi confilia aequum duxerint, redarguendos et accufandos praebeamus. Quod autem Vir humaniffimus correctione aliqua adhibita conferuanda cenfet effe Monafteria, illud veror fapienter vt fiat, in inftituto et per fe vano et retractationis haud facile patiente.

b) Rem pergratam contigiffe mihi profiteor, ea quum fcripfiffem, in ROTHII modo laudati elegantiffimi libelli, qui infcribitur *Vertheidigung der rechtlichen Staatsbetrachtungen etc.* p. 119. locum me incidiffe, vbi illud ipfum quaerendi genus, an Epifcopus Pontifice Rom. et Imperatore inconfultis fundationes abolere poffit, elegantia et grauitate fua peculiari dignum effe commentatione pronuntiaret. Cuius quidem Viri fubtilitati, quod ipfe ad fufcipiendum praeclarum effe duxit confilium, illud, quatenus, ego quidem exfequutus fuero, probetur, vehementer cupio.

III.

FVNDATIONVM ECCLESIASTICARVM PER ECCLESIAM ROM. CATHOLICAM INNOVANDARVM POTESTATEM ESSE EPISCOPORVM.

Quum igitur huius disputationis ratio in eo posita sit, vt, cuiusnam per ecclesiam Rom. Catholicam, maxime Germanicam, fundationes ecclesiasticas innouandi ius sit atque potestas: hac via et ordine procedat oratio, vt primum Episcoporum illud esse doceamus, deinceps, vtrum aliorum quoque, illorum videlicet, quos supra commemorauimus, aliquae rerum ecclesiasticarum innouationis sint partes, quaeramus. Atque Episcoporum fundationum nouandarum esse ius tam ex naturali, quam canonico iure haud difficili negotio effici posse videtur.

Quodsi enim ex ipsis *rerum naturis* ducitur ratio, cuius per ecclesiam vti vniuersum omnino sacrorum ius, ita nominatim fundationum institutio et confirmatio est, eiusdem est quoque innouandi eas potestas; vt itaque haec ecclesiarum Praesulibus tribuenda esse intelligatur *a*). Quum enim vnumquodque fundationis ecclesiasticae genus vim capiat omnem ab ecclesiarum Praesulum auctoritate seu *erectione*, nec vlla pro *simpliciter* adprobata et constituta haberi possit, sed in omni instituti alicuius ecclesiastici confirmatione haec tacita lex, si illud ecclesiae saluti noxae futurum non sit, inesse putanda sit: facile intelligitur, posse ecclesiarum Praesules, non quidem pro

a) Ecclesiarum Praesulum auctoritate opus esse in vniouibus docet ESPEN. in *instit.* I. E. P. II. S. 3. t. 12. c. 1. §. 17.

pro arbitrio, at ex iuſta tamen et graui cauſa, quas fundationes eccleſiae bono non ſatis accommodatas, eique exitioſas, aut cultui ſuperſtitioſo et vano dicatas, aut rerum copia et affluentia, quaſi mole, ſuo aliorumque inſtitutorum malo, laborare, aliis contra inſtitutis eccleſiae multo ſalubrioribus non bene egentibus, reperierint, has igitur fundationes innouare poſſe eccleſiarum Principes apparet; niſi cui forte illud omnino dubium eſſe videatur, per ſocietatem aliquam, in plura ſingularia ſodalitia deſcriptam, haec ipſa ſine eius, penes quem ſumma rerum eſt, iuſſu et auctoritate, non poſſe inſtitui, et ſi inſtituantur, hoc ita fieri, ſi vniuerſae ſocietatis ſaluti non repugnet.

Neque vero his ex iuris naturalis ea parte, quae *ſocialis* dicitur, petitis rationibus aduerſa ſunt iuris *canonici* decreta. Quamquam enim fundationum innouationes *vniuerſe* quidem prohibent, easdem ex *iuſtis* tamen *cauſis* permittunt *b*); quin

b) Decretorum de non temere innouandis fundationibus ſatis idonea conſilia iuris canonici auctoribus hactenus quidem propoſita fuiſſe intelligitur, quatenus cum illud ſpectarent, ne cultus diuinus damni aliquid faciat, tum illam *aequitatis* certe et *prudentiae* rationem ſequerentur, qua fundatorum conſiliis, legibusque, quas hi largitionibus ſuis dixiſſent, obtemperandum eſſe ducerent. Sunt autem, quibus de ſingulis innouationum generibus vel interdicatur vel interdictum eſſe ponatur et agnoſcatur, iuris canonici potiora haec loca: de *imminutione* c. 7. X. *de cenſibus*: de *vnione* c. 33. X. *de praebendis*: de *ſectione* c. 8. 20. 21. 25. 26. 36. X. eod. quam quidem, quum vi et natura ſua ad Clericorum opes augendas haud adeo comparata ſit, vnione frequentius prohibitam eſſe, non eſt, quod mireris: de *ſuppreſſione* denique c. 12. X. *de conſtitutionibus.* Enimuero non deſunt decreta, quibus ex iuſta cauſa fieri innouationes permittatur. Sic nominatim permiſſa *imminutio* c. 10. X. *de praebendis vnio* c. 33. *eod. ſectio* c. 26. *eod. ſuppreſſio* denique c. 8. X. *de conſtitut.* et *Conc. Trid.* cap. 15. ſeſſ. 24. *de reform.* Sed iuſta innouandarum fundationum cauſa, quum quidem

quin ipsam fieri sinunt rerum profanationem, dummodo vel ipsius ecclesiae necessitatis aut vtilitatis, vel pietatis ratio intercedat *c*). Sed cuinam alii per dioeceses, in quas descripta est Romana ecclesia, haec innouandi facultas attribuenda est

quidem canones requirunt, vniuerse quidem ex cap. 35. cit. ita constitui potest, vt in euidenti ecclesiae vel necessitate, vel vtilitate ponatur. At vero quodnam illud ipsum sit, quod ecclesiae commodum atque salutare esse videatur, eius iudicium et arbitrium iis, penes quos sacrorum est cura ac moderatio, ita quidem relinquenda est, vt non tam illud, quod aliquando tempestate aliqua rudiori et incultiori cum ipsi ecclesiae, tum rerum largitoribus, conducere visum sit, quam quod nostrae memoriae hominum humanitati, et sapientiae de vera ecclesiae ratione atque vtilitate videatur, spectandum sit. Sed quid multa, quum ipsi Catholici scriptores palam prae se ferant, fundationes ex iusta causa innouandi ius extra omnem in sua ecclesia positam esse dubitationem. Laudasse sufficit ROTHIVM l. c. p. 110. sq. contra quem disputare SCHLETTWEINIVM supra occupauimus. Cf. quoque BEHLEN in disp. *de caussis secularisationum illegitimis et legitimis* §. 50. quae quidem habetur in SCHMIDTII *thesauri iur. eccl.* Tom. VI. et *Vbaldi Giraldi a Sto.* CAIETANO *expositio iuris Pontificii iuxta recentiorem ecclesiae disciplinam* p. 279.

c) Nec prorsus improbari iure Canonico profanationem, cum ex eo colligitur, quod rerum ecclesiasticarum in laicos alienatio vel ex ipsius *ecclesiae* vel *necessitatis*, aut *vtilitatis* causa c. 53. C. 12. qu. 2. c. 8. X. *de rebus ecclesiae alienandis vel non alienandis*, vel etiam ex *pietatis* causa permittitur. C. 12. q. 2. c. 14. 15. 19. 52. 70. cf. EYBEL. Vir. Celeb. in *introd. in ius eccles. Cathol.* tom. 4. p. 439 et 444. tum etiam inde intelligitur, quod, quum aliquando eiusmodi reip. tempora inciderint, vt necessitate aliqua circumueniatur, aut magna eius vtilitas vertatur, laicorum opes, si non suffecerint, ex rerum ecclesiasticarum subsidiis reip. subueniri posse, duorum conciliorum Lateranensium auctoritate decretum esse, c. 4 et 7. X. *de immunitate ecclesiarum* reperitur; quod quum *Bonifacius Pont. R.* deinceps c. 3. in 6. *eod.* abrogare ausus sit, idem tamen restituit *Clemens P. R.* c. *vn. eod.* et in 6 et inter *Extrau. comm.* cf. BEHLEN l. c. §. 82. sq. Quapropter rerum ecclesiasticarum profanationem ex iusta quidem causa fieri posse tuetur ROTH. l. c. p. 116.

eſt niſi *Epiſcopo? d)* Is enim per dioeceſim ſibi aſſignatam poteſtatem eccleſiaſticam, et Metropolitano et Pontifici Romano obnoxiam quidem, at plenam tamen atque integram ita tenet, vt quaecunque ei iura, nominatim ad fundationes, natura ſua inſunt, ad ius eius dioeceſanum pertineant, niſi quaedam vel detracta vel imminuta eſſe, *certa* et *euidenti* ratione doceri poſſit *e*). Quibus vero, innouandi poteſtatem vt accenſeant, adeo ſunt alieni canones, vt cuique Ordinario, hoc eſt, qui iure dignitatis poteſtate pollet eccleſiaſtica, vniendi facultatem diſerte relinquant. Ita enim Cap. 8. X. *de exceſſibus praelatorum* decernit *Coeleſtinus* III. Pontifex „ſicut *vnire* „*Epiſcopatus*, atque poteſtati *ſubiicere* alienae, ad ſummum „*Pontificem* pertinere dignoſcitur; ita *Epiſcopi* eſt eccleſiarum „*ſuae dioeceſis vnio* et *ſubiectio* earundem." Vnde patet, quemadmodum Pontificis pro ea, quam per vniuerſam eccleſiam Rom. Catholicam tenet, poteſtate, *maiorum* fundationum ſit vnio; quo pertinent praeter Epiſcopatus *f*), Religioſorum quoque ea genera, quae nemini in eccleſia praeterquam ſedi Romanae parent; ita *minorum* per dioeceſes fundationum vniendi ius pro iure cuiusque dioeceſano pertinere ad Epiſcopos. Sed

d) ESPENIVS in *iur. eccleſ. vniuerſ.* P. II. S. 3. t. 12. c. 1. §. 20. ROTHIVS l. c. p. 116.

e) C. 16. *de officio iud. Ordin.* cf. ſi modo opus eſt in re clara auctoritatibus, ESPENIVM l. c. FEBRONIVM in vulgatiſſimo libro, iuris epiſcopalis vindice, de *eccleſiae ſtatu* tom. II. p. 273. 321. et *Nicol. Ignat.* KALESIVM *in diſp. de poteſtate Epiſcoporum primigenia et ſolida ſuas regendi dioeceſes* §. 3. 8. a. 1760. *Herbipole* edit. apud SCHMIDT in *Theſ. iur. eccleſ.* Tom. 2.

f) C. 4. X. de *officio legati. Conc. Trid.* ſeſſ. 24. de *reform.* c. 13. cf. Petr. de MARCA *de concordia ſacerdotii et imperii.* l. 4. c. 13. *addit. Baluz.*

Sed quum *Coelestini decretum* vnionem tantum expresserit, quae de ea statuit, ea vti ad omnes huic generi subiectas formas, ita quoque ad reliquas innouandarum fundationum species transferenda est: si modo a summis et similibus rerum generibus fas est ducere rationem. Neque desunt tamen inter decretales loca, quibus alia quoque innouationum genera Episcopis permittantur *g*). Quin etiam et profanatio iis a iure canonico relinquitur *h*).

Sed quod Episcopis hactenus fundationes innouandi ius vindicauimus, eodem fruuntur et Monasteriorum aliorumque institutorum ecclesiasticorum praelati, qui *iuris dioecesani liberationem* habent, non ii quidem omnes, sed quibus obtigit iurisdictio ecclesiastica plena atque integra *i*). Quibuscum ecclesiarum et locorum religiosorum rectores et praefectos *iuri dioecesano obnoxios* eodem haud iure esse censendos, eorumque in innouandis fundationibus auctoritatem absque Ordinarii iussu et adprobatione esse nullam, vnusquisque, nec me monente, perspectum habebit *k*).

g) C. 10. 26. X. *de praebendis.* Largam copiam fundationum per dioecesin *Moguntinam* sec. 15 et 16. extinctarum et translatarum copiam suppeditat ROTH. l. c. p. 64. sq.

h) Remittimus lectores ad loca nota *c*) excitata.

i) AVVS *Vener.* in I. P. E. l. 3. t. 5. c. 198. THILEN de *vnionibus eccles. et benef. eccl.* c. 4. EYBEL l. supra c. t. IV. p. 531.

k) C. 8. X. *de excessib. praelator.*

IV.

IV.

ARCHIEPISCOPORVM IN NOVANDIS PER DIOECESES FVNDATIONIBVS AVCTORITATEM ESSE NVLLAM.

Sed quum, quamuis plenam atque integram, non liberam tamen atque ab alieno imperio immunem Epiſcopi poteſtatem teneant eccleſiaſticam, ſiquidem eorum fere vnusquisque cum Metropolitano, tum Pontifici Romano, certo modo ac ratione obnoxius eſſe reperitur: quaeſtio iam ſuboritur, vtrum, quam Ordinario cuique per ſuam dioeceſim, Epiſcopo adeo maxime, fundationes innouandi poteſtatem vindicauimus, *ſolius* illa ſit *Ordinarii*, an et *Metropolitani*, et *Pontificis Romani* aliquae ea in re eſſe partes videantur.

Iam ad *Metropolitanum* quod attinet, quemadmodum is per ſuffraganeorum dioeceſes rem eccleſiaſticam nouare, niſi adſentientem habeat, cuius res agitur Epiſcopum, diſerta iuris ſanctione prohibetur *a*), ita nec in rei eccleſiaſticae nouatione, per ſuffraganeorum aliquem ſuſcipienda, eius auctoritate opus eſſe videtur *b*). Etenim illud omnino in eccleſia Romana pro certo et conſtituto habetur, Archiepiſcoporum, quae quidem ad iuris dioeceſani vim minuen-

a) C. 8. X. *de excess. praelator.*; cui non aduerſum eſt c. 10. X *de praebendis* quo quum dioeceſis *Eboracenſis* quidam Religioſi eccleſias ſibi vnitas *inconſulto Archiepiſcopo* (*Eboracenſis* is erat) minuere et diuidere prohiberentur, eius non tamquam Metropolitani, ſed tamquam Ordinarii per ſuam dioeceſim requiri conſenſum, ex tota huius decreti ratione facile perſpicitur. Cf. ESPEN l. c. P. 2. S. 3. T. 12. c. 1. §. 26. *Wolfgang* SCHMIDT. in *Inſt. iur. eccl.* L. 3. T. 40. §. 32.

b) AVVS *Ven.* in I. P. E. L. 3. T. 13 §. 40.

minuendam pertineant, *certa c)* tantum et *definita* esse iura, quibus vt rerum ecclesiasticarum innouationes confirmandi ius annumeretur, nec ex iuris canonici decretis, quibus *simpliciter* innouandi potestas Episcopis tribuitur, nec ipso rerum vsu et obseruantia effici potest. Quamquam illud quidem Archiepiscopo tribuendum esse videtur, lite de rebus vel nouatis vel innouandis suffraganeo cum fundationis sibi obnoxiae praefecto seu rectore coorta, si ad Metropolitani iudicia prouocatio facta sit, ipsius esse tam de suscepta quam suscipienda innouatione ius dicendi potestatem *d)*.

V.

NEQVE PONTIFICIS ROMANI ESSE FVNDATIONVM DIOECESANARVM INNOVATIONEM.

Sed de *Pontifice Romano* impeditior est disputatio; duplex enim de eo existit quaerendi genus: alterum est, liceatne ei per Episcoporum dioeceses innouare fundationes *propria sua vi* atque *auctoritate*; alterum, annon saltem Episcopi rerum nouandarum confirmationem a sede Romana petere religione obstringantur. Iam de superiore isto genere vt prius dicatur, quum iurium omnino Pontificiorum duplex sit fons atque ratio, pars ex vniuersae ecclesiae regiminis natura profluat, quae quidem dicuntur *primaria*, pars ex peculiaribus pendeat adquirendi modis, *secundaria* vocantur *a)*: ex neutro fonte dioece-

c) PARENS *Ven. in princ. iur. can.* §. 146. sq. CORVINI *de benef. eccles.* L. 5. t. 10. n. 33.

d) ESPEN. l. c. SCHMIDT l. c.

a) PARENS *Ven.* l. c. §. 124. KALES l. c. §. 8.

dioecesanas fundationes innouandi ius aliquod Pontificium deriuari posse, haud sane difficulter effici potest. Nam ad priorem rationem quod attinet, quum per ecclesiam Romanam potestas ecclesiastica ita sit descripta, vt vniuersae quidem rei ecclesiasticae cura, custodia, moderatio sit penes Pontificem, at singularum tamen dioecesium (praeterquam fundationum exemtarum,) gubernatio relicta sit Episcopis: facile est ad intelligendum, earum quidem fundationum, quae immediate Pontifici parent, ipsius esse innouationem *b*), at reliquarum, quae iure dioecesano reguntur, non posse eum immutare conditio-

b) Quo referendae quoque, praeter Episcopatus (III. f.) et Religiosorum Ordines Pontifici immediate subiectos, fundationes *exemtae*, de quibus vid. RIGGERVM in *instit. Iurisprud. eccles.* P. 3. §. 313. Sed *Episcopatuum* per Pontifices *regiminis vniuersalis titulo* vnitorum exempla afferri posse, negat EYBEL V. C. in *introd. in ius eccles.* T. 3. p. 141. Iam eiusmodi vnionum partem alio quidem ex fonte, ex iure scilicet Praesulis Romani *Metropolitico* profectam esse constat: quo pertinent cum per *Gregor.* M. factae vniones, qui per suam prouinciam *Squillatiensi Lysitanam* ecclesiam, *Tres Tabernas Velitrae*, (C. 16. q. 1. c. 49.) *Sabinorum Anthimiensem Nomentanae*, *Rhegiensi Carinensem* et *Tarracinensi Fundanam* (C. 16. q. 1. c. 48.) iunxerit, vid. *Car.* a S. PAVLO *Geograph. sacr.* p. 46; tum *Portuensis*, *Hippolyti* et SS. *Martyrum Rufinae* et *Secundae in sylua candida* ecclesiarum vnio a *Calixto* suscepta et deinde per *Gregor.* IX. confirmata, cuius bullam habes in VGHELLI *Italia sacra* T. 1. p. 130. Verum non desunt quoque Episcopatuum ex *regiminis vniuersalis* vi et ratione per Pontifices vnitorum documenta: veluti ecclesiae *Paderbornensis* cum *Coloniensi* vnitae per *Martinum* V. 1429.; quamquam rem haud multo post a. 1431. reuocauit *Eugenius* IV. SCHATEN. in *Annal. Paderborn.* ad memoratos modo annos: tum etiam *Setinae Tarraconensi* ecclesiae iunctae ab *Honor.* III.; quam rem confirmauit deinde a. h. s. 25. *Benedict.* XIII., cuius quidem bulla habetur in *bullarum Romanor. Pontif. ampliss. collect.* edit. *Cocquelines.* Tom. 12. p. 16. s. Plura esse, quae in veteris memoriae libris reperiri possint, dioecesium per Pontifices vnitorum exempla, colligere licet ex eo, quod *Eugen.* IV. et *Clemens* XII. praeter reliqua vnionum

ditionem, quin de iure dioecesano, quo omnium omnino sacri imperii vis atque ambitus continetur, aliquid detrahere et auferre arguendum se praebeat: nisi forsan in animum quis sibi induxerit, quae Episcopi cuiusque per dioecesim sint iura, eadem per eam ipsam attribuenda esse Pontifici; quae tamen opinio, *Isidori*, qui vocatur, fraude excogitata, postquam sedis Romanae artibus satis diu in ecclesia Pontificia regnauerit, nostra tamen memoria inter ipsos Catholicos satis explosa est *c*).

Sed, vt *peculiari* aliqua ratione fundationum illud per dioeceses nouandarum ius Pontifex nactus esse videatur, neque in iure canonico, neque in rerum aliquo vsu constanti et diuturno, neque in pactionibus et conuentionibus singulis cum gentibus initis, est quod praesidii aliquod quaerat. Quamquam si rerum gestarum memoriam spectaueris, satis frequenter vsurpasse illud negari non poterit. Nam quod nominatim ad *uniones* attinet, quum ante *Nicolaum I* P. R. in vniendis per aliorum dioeceses et prouincias ita circumscripta esset Pontificia potestas, vt nec Episcopatus, inconsulto Metropolitano, nec dioecesanas fundationes pro arbitrio Pontifex vnire posset: seculi deinceps XI et XII versus exitum, *Vrbani* II atque *Innocentii* III maxime auctoritate, non *maiorum* solum ecclesiarum vnionem, nihil iuris ea in re relicto Metropolitanis, ad se traxerunt

num genera etiam *Cathedralium* ecclesiarum per Antecessores suos temere factas vniones retractarunt; de quo quidem accuratius dicetur nota *d*) huic §. subiicienda.

c) FEBRONIVS l. c. Tom. II. p. 273. 283. 321. 482. RAVTENSTRAVCH in *instit. iur. eccles.* p. 413.

runt Pontifices, verum *minorum* etiam et *leuiorum* fundationum vniendarum poteſtatem ſibi arrogarunt *d*).

Enimuero ab illarum rerum fonte, quas Pontifices Romani pro augendis opibus ſuis, canonum auctoritate atque ecclesiae formula et ratione neglecta, ſuo arbitrio gesserint, quasque ſibi attribuerint, niſi idoneus iuris aliquis titulus ſiue lex, ſiue conſuetudo, ſiue pactum, acceſſerit, iura ducere Pontificia, ab omni abhorret iuris ratione.

Neque deſunt tamen in iuris Canonici ea parte, quae Pontificum decretales complectitur, eiusmodi rationes, quibus fundationes pro arbitrio innouandi poteſtas ſedi Pontificiae vindicanda eſſe videri poſſit; ſiquidem de omnibus omnino per vniuerſam eccleſiam beneficiis atque eccleſiis plenum atque liberum ſtatuendi ius, ex ſuae poteſtatis *plenitudine*, quam dicunt, decre-

d) AVVS *Ven.* in I. P. E. L. 3. t. 5. §. 197. — Haud raro *minorum* fundationum *vniones* vſurpaſſe Pontifices, argumento eſt *Eugenii* IV. bulla a. quidem 1431. emiſſa, qua vti eccleſiae *Paderbornenſis* cum *Colonienſi* eccleſia vnionem reſciderit, ita omnes omnino non ſolum Cathedralium eccleſiarum atque Metropolitanarum, verum etiam Monaſteriorum, dignitatum, praebendarum in eccleſiis tam cathedralibus quam collegiatis, eccleſiarum parochialium, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ſiue exemtorum, ſiue non exemtorum per ſuos anteceſſores *temere* factas vniones irritas eſſe pronuntiauerit. Habes bullam apud SCHATEN. l. c. Similis bulla *Clementis* XII. a. 30. h. ſ. emiſſa, habetur in *magno bullario Romano* Tom. 14. p. 4. Enimuero in ipſo iuris canonici corpore nos quidem nullum vnionis Pontificiae exemplum, quod huc referri poſſit, deprehendimus; nam quod per *Gregorium* M. a. 601. Monaſterium quoddam in agro *Campano* ſitum Coenobio cuidam *Surrentino* vnitum fuiſſe relatum legimus *c. 2. X de relig. domib.* illud non ex iure aliquo Praeſulis Romani *Pontificio*, quod tum per eccleſiam erat nullum, ſed ex iure *Metropolitico* profectum eſſe ex eo apparet, quod *Campania*, quae ante ſec. 10. exitum *peculiarem* nondum haberet Metropolitanum, tum temporis Romanae Prouinciae pars erat. V. *Car.* a S. PAVLO l. c. p. 36. ſq.

decretis ſuis Pontifices ſibi attribuiſſe conſtat *e*). Cuiusmodi vero decretorum, quum ad vniuerſae eccleſiae diſciplinam atque canonum, omne rerum eccleſiaſticarum arbitrium Epiſcopis aſſignantium *f*), auctoritatem infringendam pertineant, vis aliqua hoc minus eſſe poteſt, quod in eo pactionum genere, quo de finibus poteſtatis Pontificiae regundis populorum et eccleſiarum praeſulibus cum ſede Pontificia conuenit, quodue iurium adeo Pontificiorum, quae dicuntur, *ſecundariorum* ſummus fons habetur, non omne Pontifici de fundationibus dioeceſanis ſtatuendi arbitrium, ſed *certa* tantum et *definita* iura relicta eſſe conſtat.

VI.

NEC OMNINO PONTIFICIS ROMANI AVCTORITATEM EPISCOPIS RES NOVANTIBVS REQVIRENDAM ESSE.

Quemadmodum igitur Pontificis Romani fundationum per dioeceſes innouandi poteſtatem nullam eſſe docuerimus: ita quoque, qui alter huius diſputationis locus eſt, ad rerum ſua auctoritate nouandarum apud ſedem Romanam confirmationem petendam, ſi *vniuerſe* quidem res ſpectetur, vllo iuris vinculo obſtringi Epiſcopos negandum nobis eſſe videtur.

e) c. 2. *de praebendis in 6. Clem. I. vt lite pendente.* Quorum decretorum auctoritate ſcriptorum Catholicorum moti nonnulli Pontifici dioeceſanas quoque fundationes innouandi ius tribuere, vti THILEN in *diſſ.* ſupra excitata c. 4. FRANCISCVS MENICONIVS (Ict. Peruſius) in *inſtit. iur. eccleſ.* p. 305. *Io. Georg* SCHLOER in diſſ. Moguntina *de eccleſ. paroch. ſecularitate earumque vnione ſubiectiua Monaſteriis facta.* c. 2. §. 9 et 12. in SCHMIDT. *Theſ.* T. 6. REIFFENSTVEL in *iur. Canon. Vniu.* L. 3. T. 12. n. 53. cf. AVVS *Ven.* in I. P. E. L. 3. t. 5. §. 197. et t. 12. §. 9.

f) C. 2. 3. 4. 5. 6. 7. C. 10. q. 1.

detur. Etenim ea eſt imperii dioeceſani vis atque ratio, vt, quae ſunt iura Epiſcopis poteſtatis eccleſiaſticae iura, ea *vniuerſe* quidem ſua ipſorum auctoritate, inconſulto Pontifice, vſurpare poſſint. Neque enim propter eam, quae Epiſcopis cum Pontifice intercedit, ſubiectionis rationem, ſtatui poteſt, in vnoquoque iure dioeceſano vſurpando adhibendam illis eſſe auctoritatem Pontificiam; quandoquidem, vti reip. Germanicae noſtrae formula declarat, in ſocietate aliqua compoſita, ſiue ciuilis ſiue eccleſiaſtica illa ſit, partis alicuius praeſul, vt, quae pro imperio ſuſcipiat, ea rata ac firma ſint, eius, qui vniuerſae ſocietatis corpori praeſit, conſenſum et confirmationem requirere nulla ratione obſtringitur.

Quamquam illud quidem tribuendum eſſe videtur Pontifici pro ea, quae ipſius eſt vniuerſae rei eccleſiaſticae per eccleſiam Romanam cura et cuſtodia, vt, ſi *temere* aliquid innouetur per Epiſcopos, legum, quarum per eccleſiam viget obſeruatio quarumue ipſe eſt cuſtos atque vindex *a*), eos admoneat, eosque in ordinem cogat. Vnde vero Epiſcoporum innouationes confirmandi aliquod ius hoc minus deriuari poteſt, quod alioquin nulla omnino foret iuris dioeceſani pars, quae, quum Pontificis ſupremae obnoxia ſit tutelae, eadem non quoque confirmatione Pontificia indigeret; quod quam parum foret conſentaneum, vnicuique obuium eſt ad intelligendum.

Quod autem ea in re ſummum eſſe videtur, illud eſt, quod nulla in iure canonico lex, qua Epiſcopis innouationum eccle-

a) FEBRON T. I. p. 108. T. 2. p. 98. 482. T. 3. p. 41.

ecclesiasticarum confirmationem a sede Romana petendi necessitas *vniuerse* imposita sit, reperitur. Quin *vnionem*, a qua ad reliqua innouationum genera duci posse rationem, nemini dubium esse potest, *simpliciter*, hoc est, sine adprobationis Pontificiae requirendae mentione, cuique Episcopo idem illud diserte relinquit *b*). Nam ad ea iuris canonici loca quod attinet, quibus Pontifex ab illius memoriae Episcopis de rerum a se nouandarum adsensu impertiendo requisitus, modo ratas innouationes modo irritas haberet *c*), earum ad nostrae aetatis *d*) Episcopos religione aliqua obstringendos vis omnino esse potest nulla. Qui enim fieri potest, vt ex eo, quod aliquando pro istius tempestatis ratione Episcopis vel religione ac verecundia aliqua

b) C. 8. *de excess. praelat.* In vnionibus auctoritate Pontificia opus esse censet EYBEL V.C. in *introd. in ius eccles.* T. 4. p. 534. negant *Vb. Gir* a STO-CAJETANO l. c. et M. *Anton* de DOMINIS *de rep. eccles* T. IX. c. 8. §. 35. p. 91.

c) *Permissae suppressionis* exemplum habes in *c. 8. X de Constit. deminutionis concessae* c. 10. X. *de praebendis*, *prohibitae* c. 8. et 36. *eod. adprobatae denique vnionis* c. 33. *eod.*

d) Quamquam nuper in *Moguntinis* Monasteriis pro re Academica augenda abolendis illud Archiepiscopum Pontifici tribuisse, ipsius auctoritatem vt requireret, cognouimus. Quod vtrum *ex lege* faciendum sibi esse duxerit, an *consilio* fecerit tamquam in re noua atque calumniis facile exposita, non nostri est iudicii. Sed litterarum iussu Pii VI. P. R. d. 29 Aug. a. 81. ad Archiepiscopum missarum, quibus ipsi rei peragendae potestatem faceret — seu, vt cum Pontifice loquar, quibus *iuberet* eum, vt *auctoritate Apostolica* rem perficeret — summam habes in WALCHII *neuest. Religions-Geschichte* Tom. IX. p. 391. f. Simili moderatione multum ante vsus erat *Ioannes Archiepiscopus Treuirensis*, qui vt Academiae recens a se in Metropoli sua conditae fundationes aliquas vniret, auctoritatem Pontificiam adhiberet. Litteras ab *Nicol.* V. P. R. a. 1454. ad Archiep. missas, quibus ei III. ecclesiarum parochialium, VI. Canonicatuum et totidem praebendarum cum Academ. Treuir. vniendarum potestatem faceret, habes in BROWERI *Antiq. et Annal. Treuir.* Tom. II. p. 288.

aliqua motis, vel, ne temere quid nouasse putarentur, de rebus innouandis Pontifex sibi consulendus visus fuit, etsi deinceps rescripta illa, quibus Pontifices vel improbarent innouationes vel comprobarent, in decretorum Pontificiorum corpus recepta fuerint, *ius* aliquod *vniuersum* efficiatur?

VII.

QVIBVSDAM TAMEN INNOVATIONVM GENERIBVS EXCEPTIS.

Sunt tamen quaedam innouationum genera, quae quo minus ab Episcopis inconsulto Pontifice suscipiantur, a iure canonico diserte prohibetur. Quo pertinent cum ecclesiarum *parochialium* nouatio in gratiam alicuius *Monasterii* vel ecclesiae *collegiatae* facta *a*), tum quodcunque omnino innouandi genus, quod vel ipsius *Episcopi*, vel sui *Capituli b*) proprios vsus

a) C. 9. *de his quae fiunt a prael. sine capit. consensu. Conc, Trid sess.* 24. *cap.* 13. *de reformatione:* quorum decretorum auctores illud spectasse videntur, quod Religiosi muneribus parochialibus sustinendis parum esse idonei, nec aliis, qui illa obirent, redituum parochialium satis relinquere cognoscerentur. ESPEN l. c. T. 2. p. 783. *Wolfg.* SCHMIDT in *Inst.* I. E. L. 3. t. 40. §. 8. sq. *Parochiarum* omissa auctoritate Pontificia Monasterio vnitarum exemplum habes in GVDENI *Cod. diplom.* Tom. I. p. 898. vbi litterae exstant (a. 1297.) *Gerhardi Archiep. Mogunt.* ecclesias parochiales in *Ammera* et *Schwerstete* Coenobio *Reiffenstein* vnientis.

b) Clem. 2. §. fin. *de reb. eccles. non alien. c.* 32. X *de V. S. c.* 10. *de rescript.* in 6. *Conc. Trid.* l. c. LEVRENIVS in *foro benef.* P. 3. s. 2. c. 1. q. 891. n. 1. Mensae Episcopali vnitarum fundationum documenta sunt cum Abbatia *Berchtesgaden* a. 1394. a *Bonifacio* XI. mensae Archiepiscopali *Salisburgensi* vnita; bulla est apud MOSER. im *teutschen Staatsrecht* Tom. XI. p. 291.; quam vnionem idem *Bonifacius*, tametsi a se a. 1402. iterum adpro

vſus atque commoda propoſita ſibi habet — quarum quidem rerum arbitrium Pontifici vt permittatur, a cuiusque Epiſcopi aequitate facile ſperari poteſt — tum etiam rerum eccleſiaſticarum in laicos *alienatio*, de qua quidem ſine Pontificis auctoritate non ſuſcipienda, duplex in iure canonico habetur decretum, alterum *Gregorii* IX in *decretalium libro ſexto c*), alterum *Pauli Veneti*, Pont. Rom. inter *Extrauagantes communes*, *ambitioſae* nomine celebratum *d*), graui vtrumque illud ſanctione firmatum. Sed de vtroque vehementer inter iuris eccleſiaſtici prudentes diſputatur *e*), an omnino per eccleſiam, nominatim per

adprobatam, paullo poſt tamen a. 1404. ipſe reuocauit; MOSER. l. c. p. 296.: tum Abbatia St. *Maximin.* a. 1630. per *Vrban.* VIII. *Treuirenſi* Archiepiſcopatui vnita, per eundem tamen ab illo ſeiuncta et in priſtinam conditionem reſtituta. cf. *Moſer* l. c. p. 291. et im *Staatsrecht des Churfürſtl. Erzſtifts Trier* p. 311. — Quae vnionum Pontificiarum per ipſos Pontifices reuocatarum exempla, ſi cum iis, quae ſupra *nota d*) ad §. VI. de *Eugenio* IV. et *Clemente* XII. Anteceſſorum vniones retractantibus commemorauimus, conferamus, eccleſiae Romanae Praeſulum leuitatem atque inconſtantiam non ſatis mirari poſſumus.

c) C. 2. *de reb. eccl. non alien.*

d) C. vn. *eod.*

e) Quorum tamen pars longe plurima decreta iſta per Germaniam eſſe recepta negant, veluti: CONRING in *bullam Innoc.* X. p. 316. 318. ſ. et in *Conſult. Cathol. de pace perpet. Proteſtantibus danda* §. 7. p. 13 RVDER. in *Comm. de iuram. Princ. eccl.* §. 36. ENGEL in *coll. vniu. iur. canon.* L. 2. t. 24. n. 9. REIFFENSTVEL l. c. L. 3. t. 13. n. 31. ſ. AVVS *Ven.* l. c. L. 3. t. 13. §. 37. 40. EYBEL l. c. T. 4. p. 449. Enimuero recepta eſſe affirmant, et *ſimpliciter* quidem BEHLEN l. c. §. 85. quamquam is fatetur, nec in praxi, nec in theoria ea de re inter Cath. ſatis conuenire. RIGGER in *inſtit. Iurisp. eccl.* P. 3. §. 214. MENICONIVS l. c. p. 345.; quod ad *certa bonorum genera*, v. c. *menſae bona Anton* SCHMIDT in *inſtit. iur. eccleſ.* T. 1. c. 2. ſ. 2. §. 298. *Wolfgang* SCHMIDT l. c. L. 3. t. 47. §. 13. BARTHEL. *de reb. eccl.* non

per Germaniam pro recepto habenda ſit. In quo diſſenſu de *vniuerſa* harum ſanctionum per Germaniam ſaltem obſeruantia atque vſu hoc magis addubitandum eſſe videtur, quod nec in *nationis Germanicae Concordatis* bonorum eccleſiaſticorum alienationes confirmandi ius ſedi Romanae conceſſum eſſe reperitur, nec quod nominatim ad illud modo excitatum decretum *ambitioſae* attinet, *extrauagantes* decretales, e quarum numero illud eſſe diximus, haudquaquam *vniuerſas*, ſed *ſingulas* receptas eſſe conſtat *f*); vt itaque in quaque dioeceſi omnium primum iſta decreta an et quatenus rerum vſu vim aliquam obtinuerint, inueſtigandum eſſe videatur. Enimuero, etiamſi illorum decretorum vſum paſſim vigere deprehenderis, ad illa tamen innouationum genera, quae vacant profanatione, ea accommodari haud poſſe et transferri, ex eo intelligitur, quod ab iis, quae de rebus eccleſiaſticis *in laicos non alienandis*, hoc eſt, de iisdem non profanandis cauta ſunt, ad ea rerum innouandarum genera, quibus res relinquuntur vſibus eccleſiaſticis, duci plane nequit ratio *g*).

non alien. in eius opuſc. T. 2. Art. 3. n. 9. ſq. Mediam ſententiam ſequitur ESPEN l. c. P. 2. ſ. 4 t. 5. c. 4. „ 18. qui vbique recepta eſſe neget.

f) ZALLWEIN in *princip. iur eccleſ.* T. 4. q. 3. c. 3. §. 10.

g) Cf. AVVS *Ven.* l. c. L. 3. t. 13. §. 42.

VII.

EPISCOPIS NVM A PRINCIPE, CVI SVNT OBNOXII, FVNDATIONVM INNOVANDARVM CONFIRMATIO REQVIRENDA SIT, VNIVERSE QVAERITVR,

Quibus igitur, ſi *vniuerſe* rem ſpectes, Epiſcopis hactenus quidem, quod in innouandis fundationibus a Metropolitanorum et Pontificis Romani confirmatione petenda liberi atque immunes ſint, vim ſuam atque auctoritatem adſeruiſſe videmur, iisdem tamen eius, in cuius ditione ſint innouandae fundationes, Principis, rerum nouandarum auctoritatem, non quidem ex iuris canonici decretis, quae parum ea in re relinquunt Imperantibus *a*), ſed ex vtriusque, cum ciuilis, tum eccleſiaſticae poteſtatis natura et ratione, eſſe requirendam, illud eſt, quod nunc efficiendum nobis eſt. Iam illud omnino noſtra quidem memoria pro certo et conſtituto ponere licet, eccleſiam atque eccleſiaſticam poteſtatem obnoxiam eſſe imperio ciuili *b*). Quemadmodum enim omnes omnino per ciuitatem vniuer-

a) *Wolfgang* SCHMIDT l. c. L. 3. t. 40. §. 36. BEHLEN l. c. §. 86.

b) Quamquam *Catholicorum* ſcriptorum ea de re non vna eſt eademque ſententia. Longe plurima enim pars, atque ſuperiorum aetatum fere omnes Principi nihil ad eccleſiam iuris, praeterquam illius, ſine quo ſalua et ſecura illa non poſſit, *Aduocatiae* igitur ius, relinquunt, vti MÜLLER in *diſſ. ſupra laud. de pedi et gladii connubio Sect.* 3. §. 7. HAMMER in *diſſ. de iure Principis Cath. circa ſacra c. 1. ſ. 2.* §. 16. *ſq.* et c. 2. apud SCHMIDT. l. c. Tom. III. Teſtem huius rei habes AVVM *Ven.* in *I. P. E.* L. 3. t. 5. §. 196. et t. 31. §. 50. Enimuero noſtrae memoriae ſcriptores, maxime, quibus IOSEPHI ſub auſpiciis, de rebus ſacris, quae ſentirent, libere ea propalam expromere contigerit, iuris circa ſacra vindicias agere inſtituerunt. Laudandi inprimis ſunt RIGGER, qui, quamquam

vniuerſitates et collegia, ita eccleſiaſticae quoque celebritates atque inſtituta originem ſuam vimque omnem capiunt a rep. eiusque adeo tenentur imperio *c*). Ex quo illud neceſſarium fit, fundationum eccleſiaſticarum conditionem absque Imperantis ciuilis auctoritate haudquaquam poſſe immutari *d*). De quo autem accuratius dicendum nobis eſt.

Quum igitur iurium quae cuiusque Principis in ſacra poteſtas complectitur, haec ſumma genera conſtitui ſoleant, ſcilicet *reformandi ius*, *inſpectoria poteſtas*, et denique *Aduocatiae ius:* eorum vniuscuiusque in rebus eccleſiaſticis per Epiſcopum innouandis vis aliqua eſt. Nam ad *reformandi ius* quod attinet, cuius quidem virtus in conſociationum eccleſiaſticarum per ciuitatem celebrandarum iure tum tribuendo et denegando, tum augendo et circumſcribendo, tum denique conſeruando et reuocando poſita eſt, quae ex hoc omnis per remp. iuris et poteſtatis eccleſiaſticae fonte originem atque vim ſuam tenent fundationes eccleſiaſticae, quum rerum ſtatum atque conditionem pro vtilitatis publicae ratione Principis iuſſu et imperio conſtitutam et ſtabilitam priuata innouari auctoritate nefas omnino ſit, illas igitur fundationes absque Imperantis ciuilis

quam in *delicato* atque *calumniis expoſito* loco verſari ſe fatetur l. c. P. I. §. 424. nihilominus tamen, quae noſtrates, eadem et ipſe Principi iura tribuere haud dubitat. *ibid.* §. 173. ſ. 424. ſ. 446. ſ. 450. EYBEL l. c. T. 2. p. 121. 126. 146. T. 3. p. 191, *Car. Ant.* de MARTINI in *poſit. de iure Ciuitat.* §. 222. ſq Nec repugnant iuri in ſacra FEBRON. l. c. T. I. p. 582. et ZALLWEIN in *princip. iur. eccl.* T. 4. q. 3. c. 3. §. 8.

c) PÜTTERI, *Viri perilluſtris*, *inſtit. iur. publ.* §. 219. et *Rechtsfälle* Vol. II. T. 2. p. 512. PARENS *Ven.* l. c. §. 472. EYBEL l. c. T. 4. §. 453. 500. MARTINI l. c. §. 99.

d) PARENS *Ven.* l. c. et §. 575.

ciuilis aſſenſu et confirmatione nec circumſcribi nec diſſolui poſ-
ſe, ſatis obuium eſt ad intelligendum. Neque reliquorum
iurium minorem ea in re vim eſſe atque effectum, ex ipſa eo-
rum natura et ratione perſpicitur: ſiquidem cum per *inſpe-
ctoriam poteſtatem* curandi efficiendique ius eſt Principi, ne ex
eo, quod in eccleſia fiat, detrimentum aliquod capiat reſp. *e*);
tum *Aduocatiae* nomine, ne contra leges eccleſiaſticas, qua-
rum ipſe Imperans ciuilis cuſtos eſt atque vindex, nec ipſius
eccleſiae iniuria et damno ab eius Praeſulibus aliquid ſuſcipiatur,
inuigilandi habet poteſtatem *f*).

Sed quo magis intelligatur, ſine ciuili auctoritate res
eccleſiaſticas non poſſe innouari, illa quoque afferri poſſe ratio
videtur, quod ipſius quoque Principis haud dubie ſit fundatio-
nes ſuae ditioni ſubiectas immutandi poteſtas. Quae quidem
extraordinaria dicitur, ab eaque, quae Praeſulis eſt *eccleſiaſtici*,
ordinariam vocant *g*), eo facile internoſcitur, quod ſicut
haec *eccleſiae* vtilitatem, ita ipſa *reip.* commoda propoſita ha-
bet. Etenim, quum, quemadmodum reliquis per ciuitatem
vniuerſitatibus, ita eccleſiis quoque omne illud, per quod ſunt
vigentque, vis atque robur ab ipſa rep. additum fuerit, idque
non *ſimpliciter*, ſed quatenus bono publico haud repugnet:
Principi, ſi ex ſalutis publicae ratione videatur, fundationum
eccleſiaſticarum et circumſcribendarum et diſſoluendarum pote-
ſtatem

e) ESPEN. l. c. P. 2. ſ. 3. t. 12. c. 3. §. 19. HORIX *de fontibus iur. can.* §. 5. in CRAMERI *Nebenſtunden* p. 98.

f) Conf. iidem. — Omnino intelligitur, Aduocatiae iuris reſpectu non poſſe Catholicos, ſi modo conſtare ſibi videri velint, quin innouationes con-firmandi ius Principi tribuant.

g) PARENS *Ven.* l. c. §. 586.

ſtatem eſſe, intelligitur *h*). Atqui, quum in nouanda re ecclesiaſtica ius aliquod vertatur, quod diuerſa quamuis ratione, at idem tamen ad Principem quoque pertineat, ipſius confirmationem Epiſcopo res nouanti requirendam eſſe apparet.

IX.

IDEM QVAERITVR DE GERMANIAE EPISCOPIS.

Sed quum hactenus *vniuerſe* de imperii ciuilis auctoritate in nouandis fundationibus diſputatum ſit, reſtat, vt, quaenam illius per *Germaniam* ſit vis, exponamus. Iam, quum Germanorum Catholicae eccleſiae ea ſit ratio, vt ipſius gubernatio ſit penes Epiſcopos, quorum plurima quidem pars praedita ſit imperio ciuili, *immediati* vocantur, nonnulli in Principum ſint ditione: hi quidem cum reliquis extra Germaniam Epiſcopis, quos omnes e ſubditorum eſſe numero conſtat, eodem hactenus iure cenſendi ſunt, vt inconſulto ſuo Principe nil queant per eccleſiam innouare. At *immediatorum* longe diſpar eſt ratio. Qui enim quum vtramque poteſtatem, cum ciuilem, tum eccleſiaſticam teneant coniunctam, quid eſt, quod Principis alicuius, cuius ipſi vices ſuſtinent, auctoritate in rebus per ſuum *territorium* innouandis, indigere videri poſſint?

Nam

h) PÜTTER.V. C. *inſtit. iur. publ.* l. c. Eccleſiarum iura et reſtringendi et tollendi ius ex neceſſitatis publicae ratione Principi vindicat RIGGER. l. c. §. 450. *Imperatores* olim fundationum nominatim *Epiſcopatuum* vniendorum ius vſurpaſſe, obſeruat AVVS *Ven.* l. c. L. 3. T. 5. §. 196. Per *Galloſranciam* regis. eorum quidem beneficiorum, quae ad ipſius *collationem pleno* pertinent iure, vnionem eſſe, refert ESPEN. P. II. S. 3. T. 13. §. 28. *Regiae* vnionis exemplum habetur in PINSSON. *Traité des regales* Tom. 1. p. 92.

Nam *Imperatoris* ea in re *omnino* non opus esse videtur auctoritate. Quod enim *Maiestati* Caesareae inest *Aduocatiae ius*, cuius nomine Imperator ecclesiae Romanae per Germaniam cum *vniuersae*, tum *singularum* eius partium iura atque bona tueri et seruare religioni sibi ducit *a*), illius haec quidem haud dubie vis est atque effectus, vt, si per ecclesiam quis ex rerum ecclesiasticarum innouatione iniuriam factam sibi esse apud Caesarem *queratur a)*, eius sit de innouatione, rectene an perperam facta fuerit, iudicium, atque, si temere illam susceptam esse deprehenderit vel corrigendi eam vel irritam habendi potestas. Verum enimuero haec imperii Caesarei pars, quo minus propria sua auctoritate Episcopi, inconsulto Imperatore, innouationes suscipiant, haudquaquam impedire potest; quandoquidem illud satis constat, ex eo, quod imp. Principes, si in imperii siue sacri siue ciuilis vsurpandis iuribus iniuriam alicui fecisse arguantur, in ordinem ab Imperatore cogi possunt, nequaquam illos eorum, quae pro imperio agere parent, a Caesare petere confirmationem obstringi. *c*)

Sed

a) *Capitul. Caesar.* Art. I. §. I. *Anton* SCHMIDT l. c. T. I. c. 2. S. I. §. 215. 251. S. 2. §. 300. *Ioh. Iac.* de MOSER *von den Kayserlichen Regierungsrechten* T. I. p. 241. f. *Petri* GALLADE diss. de *Aduocatis ecclesiasticis* c. 5. in SCHMIDT. *Thesaur. eccles.* T. V.

b) MOSER l. c. p. 252. sq.

c) Enimuero in Monasteriorum *Moguntinorum* abolitione auctoritati Caesareae locum fuisse constat. Qua quidem etsi ex ratione aliqua ab imperii Caesarei iure petita opus non fuerit, at eam sapienter tamen, ne, quod ad rei vim et auctoritatem pertineret, in eius peragendae modo omisisse Archiepiscopus per calumniam argui possit (id quod ne fieret, maxime propter *extera* Monasteriorum bona ad Academiam transferenda interesset) adhibitam esse intelligitur.

Sed quum Imperator praeter istud *vniuersale*, *peculiare* quoque Aduocatiae aliquod ius, fundationum quarumdam munificentia Caesarea, siue *conditarum*, siue *amplificatarum*, nomine passim teneat, huic quidem ea vis tribuenda esse videtur, vt, quemadmodum *priuatorum* hominum ex iuris canonici decretis illud haud dubie est ius, vt ne earum rerum conditio, in quibus siue ex sua, siue ex maiorum fundatione *Patronatus* et *Aduocatiae* ius nacti fuerint, sine ipsorum adsensu innouetur *d*), ita quoque in nouandis fundationibus Imperatorum beneficio institutis vel auctis hoc magis auctoritate Caesarea opus esse videtur *e*), quod illae non in Episcoporum ditione, sed bonorum *immediatorum* loco esse solent. *f*)

Neque tamen vtriusque potestatis eam in Catholicae ecclesiae Episcopis habere vim potest, vt, quemadmodum Principes nostri Euangelici a iure canonico liberam tenent potestatem ecclesiasticam, ita et ipsi, ciuilis imperii, quo fruuntur, nomine, ab iis officiorum et cautionum generibus, quibus ex iuris canonici decretis innouandi potestas, circumscripta est, immu-

d) V. AVVS *Ven.* l. c. L. 2. T. 5. §. 188. L. 3. T. 5. §. 193. PARENS *Ven.* l. c. §. 535. 575. ESPEN. P. 2. S. 3. T. 12. c. 3 §. 9.

e) Per *Gallofranciam* in eorum beneficiorum vnione, in quibus patronatus iure rex vtitur, ipsius opus esse auctoritate, memorat ESPEN. l. c. P. 2. S. 4. T. 5. c. 4. §. 35.

f) Sed illius Aduocatiae generis, quod passim Imperatorem *peculiaribus pactionibus* obtinuisse constat, eam haudquaquam esse vim, vt sine Caesarea auctoritate (qua ne quidem propter Aduocatiam *Maiestaticam*, quae dicitur, opus esse docuerimus) peragi nequeat innouatio, ex ipsa huius iuris natura facile perspicitur. Omnino huius Adu catiae Caesareae generis peculiares esse effectus, quos eosdem non habeat quoque Aduocatia Maiestatica, negat MOSER. l. c. p. 247.

immunes esse videantur. Parent enim Pontifici Romano, eumque colunt pro legum ecclesiasticarum custode et exsequutore; a quo iugo, per tot seculorum decursu constituto, propter eam, quae Imperatoris atque Imperii beneficio cum dioecesium gubernatione coniuncta est, potestatem ciuilem, liberari eos in ecclesia Catholica nefas esse ducitur. *g*)

Sed quum dioecesana per Germaniam potestas duplicis sit generis, alterum cuiusque Episcopi concludatur territorio, *restrictior* vocatur, alterum per aliorum imp. Ordinum terras pateat et vagetur, *latiorem* dicunt: quae de Episcoporum, inconsulto Imperante ciuili, innouandi iure ex formula Germaniae disputauimus, ea ad extremum illud iuris dioecesani genus nequaquam posse accommodari, ex eo intelligitur, quod in isto vsurpando Episcopus eius Principis imperio, per cuius territorium illud exerceatur, obnoxius est. *h*)

Quum autem *latius* dioecesanum ius non per Catholicorum solum terras constitutum sit, verum etiam, quae passim per Euangelicorum territoria, vel ex Pacis Westphalicae formula, vel ex cuiusque Principis indulgentia, rei Catholicae relictae sunt fundationes, eas quoque afficiat: has ipsas quidem innouandi omnino ius est Episcopo, at in eo tamen vsurpando hoc magis ipsius Principis debet auctoritatem adhibere,

bere,

g) BARTHEL. de *reb. eccles. non alien.* Art. 3. §. 12. in *Opusc.* T. II. At longe diuerso iure fruuntur Principes *seculares*, videsis RIGGER. l. c. P. I. p. 393. s. et diss. nostr. *de iure occup. statuendique de bon. exst. Ord. Ies.* c. 1. - 4.

h) ROTH l. c. p. 27.

bere, quo grauius eſt diſcrimen, in quod rem Euangelicam ipſa adducere videtur religionis diuerſitas, et quod, tum ſi ex anno decretorio vim ſuam capit dioeceſana poteſtas, non alia ratione et forma, quam qua iſto tempore comparata fuerit, eam ferre Princeps Euangelicus obſtringitur. Quamquam, ſi ex ipſius auctoritate ab Epiſcopo peracta fuerit innouatio, non eſt, quod Catholici ciues de temporis decretorii ratione immutata querantur, quandoquidem ea inter eiusdem religionis conſortes nullam omnino vim habere conſtat.

X.

EPISCOPO IN FVNDATIONIBVS NOVANDIS CAPITVLI CATHEDRALIS CONSENSVM VNIVERSE HAVDQVAQVAM ESSE REQVIRENDVM.

Sed fundationum per dioeceſin innouandarum ius ita ad Epiſcopum pertinere arbitramur, vt in eo vſurpando, ſi *vniverſe* quidem res ſpectetur, *Capituli* ſui *Cathedralis* conſenſum requirere haud obſtringatur. Etenim eam Epiſcopatuum per eccleſiam Romanam ſatis conſtat eſſe formulam, vt omnis dioeceſium moderatio ac gubernatio ita penes vniuscuiusque ſit Epiſcopum, vt praeterquam in certis cauſarum generibus, vel a iure *canonico*, vel per cuiusque Epiſcopi *capitulationem*, vel omnino iure cuique dioeceſi *proprio* et *peculiari*, definitis, Capituli auctoritatem omnino adhibere nequaquam teneatur *a*).

 Itaque

a) Opinionem iſtam, Epiſcopos non poſſe alicuius momenti res ſine capituli aſſenſu peragere, Germaniae Capitulis tam probatam illam atque acceptam,

Itaque illud maxime efficiendum nobis est, iis causis, in quibus ex iuris canonici decretis Capituli consensu opus sit, fundationum innouationes *per se* quidem haud esse annumerandas.

Iam quum, in quibus Episcopo omnino Capituli auctoritas requirenda sit, res atque causae ad summa haec genera reuocari soleant; alterum earum, quae totius Praelaturae conditionem attingant; alterum harum, quae ad ecclesiae statum innouandum pertineant; quo in genere est rerum ecclesiasticarum alienatio: *b*) ad istud superius genus haud referri posse fundationum innouationes, ipsa rei natura declarat; siquidem illas, quatenus ad Episcopum pertinent, non *vniuersam* ipsius Praelaturae rationem, sed *singularia* duntaxat instituta afficere, intelligitur. Ad extremum autem genus quod attinet, illud quidem

ceptam, ab iisque summo opere cultam, et, vbi potestas data esset, ad effectum adductam, illam igitur opinionem, non solum Eruditorum profligauit subtilitas, (laudandi inprimis sunt Io. Ad. de ICKSTATT de *iuribus capituli sede vacante* §. 42. s. in. Tom. II. opusc. et STRVBEN *von der Teutschen Dom - Capitul Erb - und Grund - Herrschaft* in den *Nebenstunden* Tom. I. — cf. quoque B. AVVS l. 3. t. 10. §. 3. et PARENS *Ven.* l. c. §. 505. 507.) verum publico etiam iudicio improbauit ac notauit Imperator, qui nuper, d. quidem 28 Aug. a. 81. Capitulo *Spirensi* quocum ob illam ipsam rem lis erat Episcopo, rescribi iuberet: placere sibi, vt ob istius opinionis vanitate temperet sese Capitulum, qua ipsum Praelaturae dominium, *radicale* et *fundamentale* vocant, eo quidem consilio sibi attribuat, vt, et *sede plena*, *Senatus nati*, qui dicitur, nomine, iuris dioecesani quasi participes et consortes habeantur, et, *sede vacante*, vniuersam potestatis episcopalis vim complecti viderentur. Habes litteras Caesareas in MOSERI *Zusätzen zu seinem neuen Staatsrecht* Tom. III. p. 397. Summa rei traditur in SCHLÖZERI *Viri illustr. Staatsanzeigen* Vol. III. p. 226. et in REVSSII *Teutscher Staatskanzley* Tom. II. p. 369.

b) AVVS b. l. c. l. 3. t. 10. §. 3. PARENS *Ven.* l. c. §. 505.

quidem ferri haud poteſt, ſi *omnino* aliquid per dioeceſim ab Epiſcopo ſine Capituli voluntate et conceſſu innouari poſſe negaueris *c*). Quid enim aliud hoc eſt, niſi, quae vniuscuiusque imperii partes habentur grauiſſimae, eas de iure dioeceſano detrahere? quod quidem fieri non poteſt, quin mutilum illud et mancum relinquatur. Verum enim vero, vt ne iſta ratio ab eccleſiae Romanae formula abhorreat, certis illa terminis definienda et circumſcribenda eſt: cuius quidem rei nos iam periculum aliquod facere conamur.

Iam igitur triplex omnino rerum genus conſtitui poſſe videtur, in quibus ſine Capituli voluntate Epiſcopo rei eccleſiaſticae innouatio a iure canonico interdicatur. Vnum eſt rerum ad *menſam Epiſcopalem*, et omnino ad *Epiſcopatum* pertinentium *d*): alterum earum, quae in *iure* et *dominio* ſunt *Capituli Cathedralis e*). Atque neutrum genus innouandi et alienandi liberum arbitrium Epiſcopo permiſſum, ne, ſi iis de rebus, quae cum pro dignitate tuenda Epiſcopali, tum pro ſuſtinendo Capitulo, quod omnium per dioeceſim conſociationum haud dubie longe princeps eſt et grauiſſima, comparatae ſunt, cuique Epiſcopo, inconſulto Capitulo, ſtatuendi poteſtas ſit, vniuerſa eccleſiae Cathedralis ratio ſummum in diſcrimen adducatur.

c) Qua ex ratione negat RAVTENSTRAVCH in *inſt. iur eccl.* Tom. I. §. 542. fundationes per Epiſcopos vniri omnino poſſe ſine conſenſu Capituli.

d) c. 51. 52. C. 12. q. 9. c. 2. et 7. X. de *donationibus.* ESPEN. P. II. ſ. 4. t. 5. c. 4. §. 21. ſ.

e) c. fin. X *de his, quae fiunt a maiori parte capituli* c. 10. X in f. *de his, quae fiunt a Praelato ſine conſenſu capituli.* Conc, *Trid.* ſeſſ. 24. c. 15. de *reform.* ESPEN. l. c. STRVBEN l. c. §. 18.

catur. Sed vtrumque genus ſatis quidem expeditum eſt, nec habet quidquam dubitationis. Reſtat tertium genus, in quo ſunt eccleſiae *parochiales f)*: quarum innouatio et alienatio ne libero Epiſcoporum arbitrio relinqueretur, cauſa fuiſſe videtur cum ipſius rei grauitas, tum quod, *parochias* Monaſteriis identidem iungendo, non bene iis Epiſcopi conſuluiſſe reperiebantur.

Enimuero, praeter iſtud tripartitum rerum genus, reliquarum omnino, nominatim monaſticarum, innouationem ſolius Epiſcopi iudicio permiſſam eſſe, eo efficitur, quod nec de iis vt Capituli auctoritatem requirant, *diſerte* a iure canonico iubentur Epiſcopi, nec ab iſtis ad has ratio aliqua duci poſſe videtur: quandoquidem tum ea iuris canonici decreta, quibus Capituli auctoritas in iſtis rerum generibus innouandis requiritur, peculiares ſuas habent rationes, tum illud omnino ſatis certum et conſtitutum eſt, Epiſcoporum poteſtatem, ab origine et per ſe plenam et abſolutam, aliqua ex parte pro deminuta et circumſcripta habere haudquaquam fas eſſe, niſi quid de ea a iure canonico planiſſime ac diſertiſſime demtum et detractum eſſe appareat g).

XI.

f) c. 73. C. 12. q. 2. c. 8. 9. X *de his quae fiunt a Praelatis ſine conſenſu Capituli* c. 1. *de reb. eccleſ. non alien.* in 6. *Clem.* 2. eod. *Nominatim* prohibetur Epiſcopus, ne parochias vel earum bona ſine Capituli conſenſu conferat Monaſteriis. c. 73. cit. c. 3. 8. 9. X *de his quae fiunt a Prael. ſine conſ. Cap* c. 7. X *de donat. Clem* 2 cit. Pontificis inſuper auctoritatem in parochiarum translatione ad Monaſteria requiri, ſupra occupauimus VII. a)

g) Sunt autem quaedam iuris canonici decreta, quibus *ſimpliciter*, ne per Epiſcopum ſine Capituli auctoritate innouentur *eccleſiae*, caueatur, veluti: c. 1. X *de his quae fiunt a prael. ſine conſ. Cap.* c. 2. *de reb. eccleſ. non alien.* in 6. Quae ne ad *loca* quoque *religioſa* et *Monaſteria*, quae *impropria eccleſiarum* acceptione intelligi conſtat PARENS *Ven.* §. 458. (quum *proprie*

XI.

EIVSDEM LOCI CONTINVATIO.

Quamquam, ſi Scriptorum auctoritas et conſenſus per ſe aliquam vim habere poſſit, *vniuerſe* ac *ſimpliciter* Epiſcopo rerum

proprie et *peculiariter* hoc nomen ad eccleſias *parochiales*, (ſiue Capitulum habentes, ſiue eodem carentes, pertineat) referenda eſſe videantur, illud facit, quod non ſolum in verbis interpretandis cuiusque *proprietas* maxime ſpectauda eſt, verum etiam per ſingula iuris canonici decreta *propriam eccleſiarum* poteſtatem regnare, quam, niſi aliqua ratio *impropriam* ſignificationem accipere cogat, ſequi oporteat, neminem qui aliquam iuris canonici conſuetudinem habet, fugere poteſt. Sed excutiamus ea ipſa, quae modo excitauimus, loca. Iam capitis 1. *de his quae fiunt* etc. ſententia eſt haec: „irrita erit epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio „rei *eccleſiaſticae*, absque collaudatione *clericorum* „ (*Cathedralis* ſcilicet eccleſiae, qui eo tempore (ſec. 5.) Epiſcopo erant loco Senatus eccleſiaſtici quamquam Capitula nondum conſtituebant.) Quod *concilii Carthaginenſis* IV. a 436. celebrati decretum hoc minus ad Monaſteria referri poteſt, quod tum temporis loca religioſa nondum obnoxia erant Epiſcoporum poteſtati, v. A V V S *Ven.* l. c. l. 3. t. 35. §. 4. quibus illa demum ſubiecit Conc. *Chalcedonenſis* a. 461. habiti can. 4. vid. c. 1. C. 16. q. 1. Vnde conficitur, quum Epiſcoporum nulla omnino eo tempore res Monaſteriorum alienandi poteſtas fuerit, illud decretum de rebus eccleſiaſticis ſine Clericorum aſſenſu non alienandis haud poſſe intelligi de Monaſteriis. Enimuero reuocandum illud eſſe ad res eccleſiae *Cathedralis*, colligitur ex iis, quae ei in Conc. Carthag. (vbi canonum eſt 32) proxime antecedunt. Ita enim decernit can. 31. „vt epiſcopus rebus *eccleſiae*, tamquam *commendatis*, *non tamquam* „*propriis vtatur.* „ Sed neque c. 2. *de reb. eccleſ non alien* in 6. quo Praelati *eccleſias ſibi commiſſas*, vel earum bona et iura ſine capituli conſenſu in laicos transferre prohibentur, ad loca religioſa referri poſſe, ex eo patet, quod ſubiicitur, *clericos eius eccleſiae*, cui aliquid detractum ſit, ſi rei delationem omiſerint, ab eorum, quae in ea eccleſia habeant, *beneficiorum* perceptione per triennium arcendos eſſe. Sed fac ad Monaſteria decretum accomodari poſſe, pro Capitulo nihil inde effeceris, praeterquam illud, ipſius conſenſum Epiſcopo requirendum eſſe in rerum Monaſticarum alienatione ad laicos. cf. VII. in *f.*

rum innouandarum adprobationem a Capitulo requirendam esse, confitendum sit. Nam, quos mihi quidem adeundi potestas fuit, ad

Sed confirmat sententiam nostram ipsius Concilii Trident. auctoritas. *Sess.* enim 25. c. 8. de *reformat, hospitalium aliorumque piorum locorum ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperum vsum institutorum* ad alios pios vsus *translatio* (etiamsi parochias adiunctas illa habeant) Ordinario ita quidem relinquitur, vt duo Capituli membra, quorum deligendorum ipse potestatem habeat, adhibeat. Capituli itaque consensu in *locorum piorum translatione* opus non esse, concilii patres agnouisse ratumque habuisse apparet. Vnde probabili satis ratione conieceris, eosdem illos translationes quoque *Monasteriorum*, quae cum istis ad idem fundationum genus referenda sint, Episcopis, sine necessitate aliqua requirendi suorum Capitulorum consensum, iure canonico permissas esse, existimasse. Sed illam decreti partem, quae duos Capitulares in consilium vocare iubet Episcopos, non ad alia innouationum genera transferri posse inde intelligitur, quod, vbi quid praecipiatur, quod ad iuris dioecesani vim leuandam et circumscribendam pertineat, *extensiuae* interpretationis genus sequi omnino fas non est. Omnino autem huius decreti vis aliqua esse nequit ad *Principes* nostros *ecclesiasticos* obstringendos, quandoquidem Conc. Trid. in iis, quae ad ipsorum iura minuenda et restringenda faciunt, haudquaquam *vniuerse* pro recepto per Germaniam haberi potest. NELLER in *princ. iur. publ. eccl. Cath.* p. 73.

Neque illud praetermittendum esse videtur inter eiusdem illius Concilii decreta esse locum, videlicet c. 13. *sess.* 24. *de reform.* ex quo, si modo iusta est interpretatio, quam sequitur illud Cardinalium consilium, cui proposita est huius Concilii interpretatio, Episcopo in *Collegiata ecclesia* aliqua *insigni* praebendas aliquas, reliquarum augendarum causa, supprimenti opus non sit consensu Capituli Cathedralis. Est autem decreti sententia haec: vt in ecclesiis tam *Cathedralibus*, quam *Collegiatis insignibus* praebendarum tollendarum et vniendarum Ordinarius ita potestatem habeat, vt consensum adhibeat *Capituli*. Iam quum hoc ipsum Capituli nomen anceps et ambiguum esset; vel enim *simpliciter* intelligi poterat *Cathedrale* vel *omnino eius ecclesiae, cuius res nouentur*, Capitulum: Cardinales extremam hanc interpretandi rationem iudicio suo comprobarunt. Quae ne iis, quas de ecclesiis Collegiatis sine capit. Cath. voluntate non innouandis supra exposita sunt, repugnare videatur, in hoc ecclesiarum genere secernenda sunt duo: cum ipsum *Canonicorum collegium*, tum, quam hoc adiunctum habet, *ecclesia parochialis.* Atque

ad vnum fere omnes partes fequuntur Capituli *a*). Enimuero hi non omnes quidem fatis fibi conftare videntur: pars enim illud tamen Epifcopo tribuit, vt, Capitulum fi diffentiat, dummodo iufta innouandi caufa intercefferit, vel illud ad confilia fua comprobanda *compellere* queat; vel eius omnino nullam rationem habere obftringatur *b*), qui quidem nihil Capitulo, praeterquam confilii auctoritatem, relinquere videntur: pars Capituli confenfu tum opus effe negant, fi non ipfe Epifcopus, fed ex eius auctoritate fundationis rectores innouationem fufcipiant *c*); quo ipfo illud Epifcopo concedere intelliguntur, Capituli confenfu eum poffe fuperfedere, fi ipfi cum ecclefiae innouandae praefecto de rebus nouandis fatis conuenerit. Haec de fcriptorum auctoritatibus.

Sed, tametfi Epifcopis, fundationes vt rite innouaffe videantur, non opus *omnino* eft Capituli *affenfu*, illud tamen ei tribuendum eft, vt, fi alicuius momenti fit innouatio, Epifcopus illud in *confilium* adhibere teneatur. Illud enim cuique Epifcopo ius canonicum omnino praecipit, vt in rebus *grauioribus* et *ar-*

Atque haec, quod ad innouationem, loco habenda eft ecclefiarum parochialium *fimpliciter talium*, hoc eft, Capitulum non habentium; illud vero Religioforum fodalitiis accenfendum effe videtur.

a) Veluti: THILE l. c. c. 6. p. 31. GRAVINA in *inft. iur. can.* p. 149. AVVS *Ven.* l. c. l. 3. t. 5. §. 200. RAVTENSTRAVCH l. c. t. 1. §. 542. ESPEN l. c. T. I. p. 1. t. 8. §. 7. 8. *Anton* SCHMIDT l. c. T. I. c. 1. f. 7. §. 170. RIGGER l. c. P. 3. §. 262. EYBEL l. c. T. 4. p. 445. BARTHEL de reb. eccl. non alien. Art. 3. §. 3. in Opufc.

b) LEVRENIVS *de foro beneficiario* P. 3. f. 2. c. 1. qu. 914. n. 10. CORVINI de *benef. ecclef.* l. 5. t. 10. n. 29. qui tamen rerum *Epifcopalium* et *Capitularium* innouationem excipit *Wolfgang* SCHMIDT l. c. l. 3. t. 4. §. 31.

c) REIFFENSTVEL l. c. l. 3. t. 13. §. 2. n. 25. nititur is c. 41. et 51. C. 12. q. 2.

duis Capitulum consulat *d*). Enimuero Episcopos eius consilii, cuius a Capitulo copia iis facta sit, auctoritatem haudquaquam sequi oportere, ex ipsa natura consiliorum, quae persuadendi, non obligandi vim habent, perspicitur *e*). Sed illud de Capitulo consulendo iuris canonici decretum, tametsi in eam aetatem, qua Episcopis, praeter Clerum cathedralem non essent proprii et peculiares consiliarii, satis conueniat, ad nostrae tamen memoriae per Germaniam Principes ecclesiasticos, publicum et sanctius consilium habentes, cuius auctoritate in vtriusque imperii, cum ciuilis, tum ecclesiastici, partibus administrandis adiuuentur, haudquaquam posse accommodari, mutata arguit rerum et temporum conditio. *f*).

Quum autem hucusque de Capituli vel consensum vel consilium requirendi necessitate, quatenus illa Episcopo, quod ad fundationum innouationes, imposita fuerit a iure *communi*, disputatum fuerit: restat, vt illorum quoque iurium, quae singularibus Praelaturis propria et peculiaria sunt, rationem aliquam habeamus. Quorum constituendorum quum varii sint modi, veluti Capitulationes, Comitiorum prouincialium decreta, vsus et obseruantia: hoc quidem loco de *Capitulationum* vi atque auctoritate, quatenus de Capituli vel consensu vel consilio per Episcopum in fundationibus innouandis exquirendo praecipiant, quaerendum nobis est: nam de reliquis modis, quin valeant, non est, quod dubitetur. Iam illud satis constat, pactionum istud genus, quo Capitulo cum Praelato recens a se electo de modo ac ratione

Praela-

d) c. 4. X de his, *quae a Prael. sine Cap. Conf.*

e) c. 7. X *de arbitris.*

f) Avvs *Ven.* l. c. l. 3. t. 10. §. 6. Strvben l. c. p. 80. Rigger l. c. P. 3. §. 252.

Praelaturam gubernandi conuenerit, Capitulationes igitur, hactenus tantum valere, quatenus legibus non repugnant, nec ad potestatem Episcopalem leuandam et frangendam comparatae sunt *g*). Atqui, quum Episcopos in rerum ecclesiasticarum innouatione ad Capituli nec *consensum*, si *vniuerse* quidem res spectetur, nec *consilium* per Germaniam saltem pro mutato rerum statu, exquirendum obstringi docuerimus: Capitulationis, quatenus his rationibus aduersa sit, nullam per se vim esse apparet. Neque iureiurando, ad quod iurandum pro seruanda capitulatione Episcopus adactus fuerit, illa, quae in iuris Episcopalis fraudem Capitulum sibi stipulatum fuerit, confirmari constat *h*). Est tamen vna ratio, qua Capitulationi Episcopi iuribus detrahenti, vis et auctoritas adiiciatur, haec nimirum, si et *Pontifex Romanus*, et cuiusque reip. summus Imperans, per Germaniam itaque, quod ad Praelaturas immediatas, *Imperator*, rem ratam habeant.

Quid autem in Episcoporum nostrorum Capitulationibus de fundationum innouationibus cautum sit, de eo quidem in vniuersum nihil certi afferre possumus, at illud tamen coniectura nobis assequi videmur, earum Praelaturarum non paucas esse, in quibus Episcopus, quo minus rerum ecclesiasticarum quid per dioecesim sine Capituli auctoritate innouet (bona episcopalia et capitularia si exceperis) Capitulatione prohibeatur. Nam nec inter illa Capitulationum exempla, quarum copia nobis erat, vlla occurrebat, quae Capituli vel consensum vel consilium, praeterquam in istarum rerum, quas exceptas omnino esse modo diximus, innouatione *i*) requireret; nec Episcopo-

g) PARENS *Ven.* l. c. §. 506.

h) C. 27. X *de iureiurando* c. 1. *eod. in* 6.

i) Vid. e. g. *Factum et ius iuramenti episcopalis*, p. 105. 115. 321. 325. 357. et STRVBEN l. c. §. 28.

ſcoporum illi, quibus nuper per dioeceſes ſuas Monaſteria vel abolere, vel deminuere viſum eſt, Capituli auctoritatem ea in re adhibendam ſibi eſſe duxerunt. Nam et *Moguntinum* inconſulto Capitulo de Monaſteriis abolendis ſtatuiſſe, et *Hildeſienſem* quoddam Metropolis ſuae Monaſterium, erat illud Carthuſanorum religionibus addictum, repugnante etiam Capitulo in Clericorum ſeminarium transmutaſſe conſtat. Quin *Colonienſem* praeclaro conſilio, rei ſcholaſticae vt conſuleret, vniuerſis per ſuam dioeceſim Religioſorum ſodalitiis, inconſulto Capitulo, d. quidem 22 Iun. an. ſuper. denuntiari iuſſit, vt binos vnumquodque ſcholarum publicarum praeceptores ſua impenſa ſuſtentandos ſuſciperet. Quod honeſtiſſimum conſilium Colonienſe Capitulum adeo moleſte tulit et grauiter, vt, licet ipſa Monaſteria non repugnarent, actione apud Cameram imperii inſtituta, Epiſcopo litem moueret; quae quidem num ad exitum iam perducta fuerit, non habemus compertum.

Sed haec hactenus. Reliqua libelli pars ad eam ipſam rem, cuius cauſa tota haec diſputatio inſtituta erat, declarandam pertinet. Eſt igitur orationis, ex more ſolenni, vt Profeſſionem indulgentiſſime mihi delatam rite adiiſſe videar, publice habendae haec ratio, vt, quum *REGI AVGVSTISSIMO*, pro hoc ipſo munere, quod IPSIVS indulgentiae acceptum refero, REGIIQVE CONSILII SANCTIORIS COMITIBVS ILLVSTRISSIMIS, pro ea benignitate, qua ſuis me ſuffragiis ad hunc honorem perducere haud grauati ſunt, gratias egero, de *Albinagio*, *pro diuerſa ſucceſſionis hereditariae ratione nunc iuſto, nunc iniuſto*, verba faciam. Vt autem die conſtituta, huic ſolemnitati PRINCIPES SERENISSIMI, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE CIVITATIS PROCERES, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET HVMANISSIMI praeſentia ſua et frequentia celebritatem addere mihique dicenti fauere velint ea, qua par eſt, humanitate et obſeruantia, rogo oroque.
